






~~PH.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*VI-27*  
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

*St. Mikkel. alced*





IN A V S P I C E I E S V

σικη Theologica

VTRVM HÆRETICI  
PERVICACES, ET HÆRESEOS

legitimè convicti, capitis supplicio af-  
fici debeant?

Quam

CONTRA PONTIFICIOS,  
& Calvinianos.

Ad disputationem XXIV. in Collegio Studiosorum  
Theologiæ privato ad III. Aprilis in-  
stituendam proponit

M. MARTINVS CONRADVS FRANCUS.

Respondente

MATTHEO SATLERO HEIBACENSE  
VVIRTEMBERGICO.



VVIRTEBERGAE, Liteis VVolfgangi Meisneri.

ANNO MD. LVC.





AMPLISSIMIS, EXIMIA  
PIETATE, ET PRÆCLARA ERU-  
ditione præstantissimis, pruden-  
tissimisq; Viris.

DN. CONSVLIBVS, CONSVLA-  
ribus & Senatoribus utriusq; ordinis Rei-  
publicæ Kittingens̄is celeberr-  
ma, spectatissimāq; :

*Dominis suis fautoribus debita animi  
observantiā colendis*

*Declaranda promptitudinis animi causā pro beni-  
gna voluntate in se*

Hæc Theologica Progymnasmata

nuncupat & consecrat

*M. Martin. Conradus.*





P O S I T I O I.

**P**assim nos oracula divina docent, Deum in V. T. Reges atq; Iudices 2. Reg. 12. 8. populi Israelitici maximis beneficiis affecisse, quando non indulgebant suis cupiditatibus: Sed Deo iudicium exercere contendebat. 3. Reg. 3. 10. 4. Reg. 19. 20.

2. Verum quando vel à Deo defecerunt: vel in alienam messem, 2. Reg. 15. falcem, quod dicitur, suam miserunt: & maiorem sibi potentiam usurparunt, quam eis oracula divina largiuntur: horribiliter à Deo puniti fuerunt.

3. Proinde necesse est, ut utrumq; in conspectu habeat Magistratus: tum quæ agendo munus suum laudabiliter obeat, & apud Deum, hominesq; amore dignus iudicetur, & divina benedictionis compos fiat: tum quæ Deus à Magistratu fieri non vult: quæ quoq; quando aggreditur, non tantum suam existimationem hominibus despiciendam prostituit, verum etiam iram Dei atrocem incurrit.

4. De priore quoniam in superiore disputatione contra Anabaptistas, pro ut institutum nostrum fert, sufficienter disseruimus: De posteriore membro καὶ τῆς σκεψίης sacram instituemus.

5. Nam Bellarminus Iesuitarum os & Coryphæus impio calamo lib. de laicis stridet, non tantum per Clericos & Presbyteros, Hæreticos ab Ecclesiæ cap. 21. communionem excludi, sed exclusos, etiam seculari Magistratui indicari debere, ut capitali supplicio afficiantur. Quod utinam de hæreticis tantum intelligeret: neq; instar aspidis pungeret eos, qui nihil minus sunt, quam sectatores: totetabilior ipsius error foret.

6. Quid verò de hac controversia Iohannes Calvinus senserit, ex lib. de refut. eo scripto liquet, quo Genevensium factum excusat, quòd Michaelem errorum Servetum Antitrinitarium rogo tradiderint, quem librum pro opinione Servetii sua pallianda quoq; Bellarminus citavit.

7. Et Theodorus Beza non solum Calvinii sententiam non improbat, de hæret: & sed pluribus etiam argumentis fulcire adnititur: ut omnibus per sua. Magistratu deat, divinis, humanisq; legibus hoc officium dari Magistratui, ut homines hæreseos convictos, si eam defendere pergant, neq; meliora docenti auscultent, capitis condemnet. puniendis.

8. Quid itaq; nos faciemus? num his classicis authoribus assensum largiemur? num argumenta, rationes, authoritates quas proferunt speciosas approbavimus? moxq; arreptis armis, in hæreticorum grem, hos prosternendo, illos vulnerando, alios necando se viemus?

9. Verum



9. Verum enim verò ut nullius Sophistæ laqueis irretiamur, probe animo expendendum est, quid propriè in questionem veniat; tum maxime, quòd præ se ferat Bellarminus, se opinionis suæ socium ipsum Calvinum habere: quòd tam verum est, quàm est candidus ipse Iesuita.

Bell. de laicis  
cap. 21.

10. Nam hæreticus quis Iesuita? quis verò Calvino? Non profectò unus. Romanensis enim præco nullam hæreseos, nullamq; hæretici, ne rudem, nedum exactam definitionem ponit: sufficere sibi putans, si nihil dissimulans, eorum nomina recitet, quorum sanguinem ipse sitit, Lutheranorum & Calvinianorum promiscuè. Ille contra in λόγος accuratè inquirat: ne vel alius quàm hæreticus capitis pœna submitatur: nequè omnis hæreticus ignominiosam mortem extimescat.

11. Quantum autem laborem exigat investigatio τὸ τι ἴπ ἐῖναι hæretici, Augustinus indicavit, cum scriberet: Quid igitur faciat hæreticum, regulari quadam definitione comprehendere, sicut ego existimo, aut omnino non potest, aut difficillimum est.

Prefat. lib. de  
hæres. item  
Epi. ad quod  
vult Deum.

12. Nos ab etymo incipiamus. sunt enim hæresis & hæreticus voces græcæ, ἡρесь τὸ ἀγνώσκειν, quòd inter alia est sectam consecrari. Hinc ἀγνοεῖς latinis sectam seu factionem, sicut ἀγνοεῖς sectatorem seu factionem sonat.

13. Fuerunt hæ voces quondam boni usus. Nam D. Paulus coram Iudæis de antea vitæ integritate gloriaturus, se de secta Phariseum confitetur. Nunc odiosa sunt usu nostro facta: quoniam ijs hominibus accommodantur, qui Orthodoxam Ecclesiam deserunt, & sua iudicia, suasq; pravas opiniones admirantur: alijsq; instillare satagunt.

Act. 23. v. 6.  
cap. 26. v. 5.

Aug. lib. 2.  
cont. Crescon.

14. Germani hæreticum significanti voce ein Ketzer appellant: quòd ab Hebreo קטיר descendere traditur, quòd est abscondit. Hinc germanum Ketzer hominem à religione abscessum exprimit.

Quæst. II. ex  
Matthæo.

15. Quapropter vel hinc planum sit, hæreticum nuncupandum eum non esse, qui nobis in religione nunquam consensit. Quo nomine neque Turcas neq; Iudæos aut alios obesse, qui in gremio Ecclesiæ nunquam recubuerunt, nomine hæretici premantur: sed infideles rectius vocentur.

16. Præterea Augustinus inter hæreticum & malum Christianum distinxit: illumq; esse existimavit, qui falsa credat: hunc vero qui quidem credat vera: sed non ita vivat, ut credit.

Aug. Prefat.  
lib. de hæres.

17. Sed & hoc probè tenendum est, non omnem, etiam in articulis fidei errorem foventem, mox hæreticum audire. Non enim omnis error



rer heresis est: et si omnis heresis errorem includit. Nam qui sententiam suam quantumvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate [ut cum Augustino loquar] defendit: praesertim quam non audacia praesumptionis suae peperit: sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus [aut etiam Praeceptoribus] accepit: quærit autem cautâ solitudine veritatem, corrigi paratus, cum invenerit: nequaquam inter hereticos deputandus est.

Epist. 16a

18. Nec præterea schismaticus & hereticus plane idem sunt. De quo discrimine Calvinus ita scribit: Vnde inter hereticum & schismaticum hoc discriminis ponit Augustinus, quod ille quidem falsis dogmatibus fidei sinceritatem corrumpat: hic autem interdum etiam in fidei similitudine societatis vinculum disrumpat.

lib. 4. instrum.  
c. 2. sect. 5.

19. Quanquam Aug. alibi de hoc discrimine, paulo aliter loquatur. Nam schisma recentem congregationis ex aliqua sententiarum diversitate dissensionem definit: cum nulla scissio eveniat, nisi diversum sequantur, qui faciunt. Heresim autem inveteratum schisma dixit.

lib. 2. contra  
Crescon. c. 7.

20. Quod agnoscens Beza scribit: Schismata tandem in hereses degenerare: quum jam ab alienatis animis huc eos impellit Satanas, ut præpostera quorundam vel odio vel amore in personis ipsis hærentes, non modo alios alijs anteferant, sed paulatim etiam homines ipsos odisse, & quæcumque ab eis fiunt aut dicuntur, sine iudicio improbare incipiam: ob quam causam Aug. heresim inveteratum schisma appellavit.

de hæret. de  
Magistratu  
puniendis.

21. Ita planum factum est, quemnam in Ecclesia hereticum salutemur, qui videlicet in Ecclesia Christi morbidum aliquid, pravumque sapit: si correptus, ut sanum sapiat, resistit contumaciter, suaque pestifera dogmata emendare non tantum recusat, sed etiam defensare persistit.

Aug. lib. 15.  
de civit. Dei  
cap. 51.

22. Cum his disputatis, Christi & Apostolorum dogmata pulchre consentiunt. Nam 1. Paulus inter infirmum & hereticum distinguit, de illo præcipiens, quod toleretur: quod in fide assumatur, non ad adjudicationes disceptationum. De hoc verò tradit præceptum, quod post unam & alteram correptionem deuitetur. Subversus enim est, inquit, hereticus & delinquit, cum sit  $\delta\omega\tau\omicron\kappa\alpha\tau\acute{\alpha}\nu\eta\tau\omicron\varsigma$ . Vnde satis clarum evadit discrimen infirmi & heretici. Nam ille, licet quodam errore in religione teneatur, tamen non est subversus, non delinquit: non est  $\delta\omega\tau\omicron\kappa\alpha\tau\acute{\alpha}\nu\eta\tau\omicron\varsigma$ .

Rom. 15. v. 1.  
Rom. 14. v. 1.  
Tit. 2.

23. Iam notas, quibus heretici in sacris literis ornantur, considerande sunt.

A 2

24.



1. Timoth. 4. 24. Principio vocantur Pseudoprophetae & Pseudochristi: ut qui  
 1. Timoth. 4. de Christo & articulis fidei aliam doctrinam asserunt, quam tum Chri-  
 Matth. 24. stus, tum Prophetæ tradiderunt. 2. Dicuntur attendere spiritibus er-  
 Iudæ v. 18. 19. rorum & doctrinis demoniorum. 3. nec apud Ecclesiam manent, sed  
 2. Tim. 3. ab ea, falsa fide discedunt. 4. habent speciem pietatis, virtutem au-  
 Matth. 7. tem ejus negant. 5. in hypocrisi loquuntur mendacium. 6. sunt homi-  
 1. Tim. 4. nes corrupti mente, reprobī circa fidem. 7. Et veritati resistunt.  
 2. Pet. 2. v. 3. 2. Tim. 3. 25. Nec eis satis est, ut sint patris cœlestis ipsi filij degeneres: sed  
 Matth. 24. quò sunt deteriores, ad plures consortes suæ fraudis & malitiæ nanci-  
 Ioan. 5. sci gestiunt. Hinc scribuntur venire: & penetrare domos & captivas  
 2. Tim. 3. ducere mulierculas: sunt lupi rapaces: lupi graves, qui gregi non par-  
 Matth. 7. cunt.  
 Act. 20. 26. Si finem consideremus, quem heretici seducendo homines sibi  
 2. Pet. 2. figunt: ipsi in avaritia fictis verbis de Christianis negociantur: secun-  
 Iudæ v. 18. dum desideria sua ambulant in impietatibus: ventrem Deum colunt:  
 Philip. 3. in SVO nomine veniunt, h. e. sunt inflati, laudes proprias consecrantes.  
 Ioan. 5. 27. Itaq; sole clarius effulget, quod ij proprie mereantur heretici  
 Heretici qui dici, quos etiã Paulus de vitare jubet, qui cum pietatem simulent &  
 sint proprie. nomen fidelium ambiant, tamen de articulis fidei aliter quam Spiritus  
 S. in S: Biblijs eos tradidit, statuunt: & licet ex libris Prophetarum  
 & Apostolorum legitimè sint erroris convicti, & admoneantur, ut sa-  
 nam doctrinam recipiant: tamen suum iudicium sequentes, ita perti-  
 naciter & præfractè adversus Orthodoxam Ecclesiam Cæcodoxa dog-  
 mata defendunt, ut ejus pacem & consensum factionibus, aviditate vel  
 gloriæ vel pinguium præbendorum retinendorum aut consequendorum,  
 vel præpostero amore odioq; certarum personarum vel malevolentia  
 & cupiditate vindictæ non dubitent lacerare.  
 Aug. lib. de 28. Ex his cuius obvium est, quosdam gradus hereticorum con-  
 utilit. cre. stituendos esse. Is enim citra controversiam gravius peccat, qui hæresis  
 dendi. vel novæ vel interpolatæ dux est & author, quam qui aliorum fraude in  
 hæresin aliquam est impulsus. Sic quò diuturnior est pervicacia, eò  
 atrocius est crimen.  
 29. Præterea quoniam alius hæresin suam tantum verbis, alius  
 verò quoq; scriptis defendit & inseram posteritatem propagare studet,  
 hic illo tanto perniciosior est, quanto in nassam opinionis suæ plures  
 pertrahit,

30. Porro



30. Porro etiam largimur, si rei naturam spectes, qua erretur, quæ  
alia hæresis atrocior, alia mitior sit.

31. His itaq; in hunc modum disputatis, quæ præmittenda fuerunt  
propter Bellarminum gloriantem, quod in hac controuersia pro ipso  
Calvinus faciat: [quod ostendimus falsum esse] iudicium facere curvis  
promptum est, quibus cum antagonists potissimum nobis congregien-  
dum sit. Non cum Iesuitis, qui carnifici necandos produnt, quibuscunq;  
[quo iure quæve injuria, non curant] suspicionem hæresis affingant:  
quiq; meretricis Babylonicæ [ut Papam Apocalypsis nominat] Pestilen-  
tiales pedes osulari recusant.

Apocal. 17.  
v. 5. 6.

32. Quare præcipuum laborem in diluenda sententia Calvinianorum  
ponemus: ita tamen ut nobis Bellarminum quodam beneficio demerea-  
mur, ei ostendentes. 1. quod falsam conclusionem tueatur. 2. s; [saltem  
ex hypothesis] concedamus ei, conclusionem valere: eorum tamen nihil  
concludere, quod ipse ad astruendam conclusionem attulit.

Quod hæc Bellarmini conclusio, ut eam ipse intelligit,  
falsa sit: Hæretici sunt occidendi.

33. Primum observare operæ precium est, quod Iesuita orationis fi-  
lum ita temperet, ut ad decipiendum improvidum sit aptissima. Nonne  
candidi animi argumentum sunt hæc verba? Nos, inquit, breviter osten-  
demus: Hæreticos incorrigibiles ac præsertim relapsos  
posse ac debere ab Ecclesia rejici & à secularibus pote-  
statibus temporalibus pœnis atq; ipsa etiam morte mul-  
ctari.

Bell. de laicis  
cap. 21.

34. Quis hæc legens non sentiat, Iesuitam scapham scapham dicere,  
& de veris hæreticis loqui, qui hæreses legitimo iudicio convicti, adeo  
non meliores fiant, ut etiam deteriores evadant? Quis præterea hunc  
advocatum sedis Romanæ hæreticum suspicetur esse?

35. Verum ex ungula leonem æstimabimus. Quo n. pertinet disputa-  
tio præcedens? Non posse conciliari Catholicos cum hære-  
ticis. Quos hic hereticos? Quos Catholicos dicit? Catholici (ô Cat-  
holici) sunt Papicolæ. Hæretici sunt Lutherani & Calviniani. Hic habes  
incorrigibiles: hic habes relapsos. Nunc expeditum est, qui ab Eccle-  
sia [puta Romana] rejiciantur. Nunc conclamatum est, quod Luthe-  
rani cum Calvinianis, secularibus potestatibus tradantur, ut tempora-  
libus pœnis atq; ipsa etiam morte mulctentur.

ibid. cap. 19.

86. Vis



36. *Vis autem illustrius specimen p̄i animi Iesuita de tollendis Luthe-  
ranis? Observa hæc eius verba: At hic error (h. e. relinquere Chri-  
stianis religionis exercitium liberum) perniciosissimus est: & sine du-  
bio tenentur principes non permittere subditis suis libertatem  
credendi: sed dare operam, ut EA FIDES SERVE TVR  
quam EPISCOPI CATHOLICI & PRAECIPVE  
PONTIFEX ROMANVS tenendam esse docet.*

Ibid. cap. 18.  
NB. aliam  
fidem Epi-  
scopis & a-  
liam Papæ  
per vocem  
(præcipue)  
tribuit Iesui-  
ta.

37. *Vult igitur hoc Iesuita concludere: Quicumq; vel à Romana Ec-  
clesia recessit vel ei non adhæret, est hæreticus. Sed Lutherani & Cal-  
viniani Romanæ Ecclesiæ non adhærent, & ab ea recesserunt. Ergo.*

38. *Amplius. Quicumq; hæretici ad Romanam sedem reduci non pati-  
untur, sunt ab Ecclesia Romana reijciendi & à Magistratu seculari ipsa  
morte mulctandi. Sed Lutherani & Calviniani tales sunt. Quod argu-  
mentis aliquot probat Iesuita. Ergo, &c.*

Ibid. cap. 18.

39. *En talibus præsidijs communitur opinio Iesuita. Nos eam expu-  
gnatum ibimus? num etiam impune audebimus? an negabimus, nos  
hæreticos esse? num non metuemus periculum, si hunc Iesuitam cum to-  
ta manu ratorum, Cucullatorum, unctorumq; hæreticos & hæresiar-  
chas pronuncia verimus: qui, si Bellarmini militet sententia de hæreti-  
cis occidendis, ab Ecclesia, non Germana, sed Orthodoxa rejecti, à secu-  
lari magistratu temporalibus poenis & ipsa etiam morte mulctentur?  
O facinus, ô scelus, exclamat Iesuita.*

Argumentum  
in expugna-  
bile pro de-  
fensione Lu-  
theranorum  
contra famo-  
sam ealumni-  
am Bellarmi-  
ni.

40. *Sed pro nobis ita argumentamur. Quorumcunq; religio scriptis  
Prophetarum & Apostolorum est conformis, ij neq; sunt hæretici, neq;  
ab Orthodoxa Ecclesia excludi, neq; ulla specie recti interfici possunt.  
Nam hæc est D. Pauli sententia. Vos superstructi estis super funda-  
mentum Prophetarum & Apostolorum, summo angulari lapide ipso  
Iesu Christo. Eph. 2.*

41. *Sed nostra qui dicimur Lutherani, religio scriptis Prophetarum  
& Apostolorum est conformis. Contrarium enim (si viri boni officium  
faciant & si sine Sophistica, abjecto pruritu pervertendi sanum sen-  
sam scripturarum, impulsu amore cælestis veritatis, disputent) Iesuita  
ad unum omnes in æternum argumentis probare non possunt. Rumpan-  
tur & illa Cothro.*

42. *Iecireo nos qui Lutherani dicimur, hæretici non sumus. Multo  
minus ab Ecclesia Orthodoxa eijci, omnium minime à secularibus pote-  
statibus ulla specie recti, causâ religionis interfici possimus.*



43. Proinde bimuli aut trimuli inte<sup>n</sup>gant, falsam esse hanc conclu-  
sionem, ut eam Iesuita exponit: quod haeretici debeant temporatibus  
pœnis & ipsa etiam morte mul'tari.

44. Quid? quod Papistæ non tantum tremandos censeant Christianæ  
religionis patronos: Sed ne miseris quidem idiotis parcant, qui ob inge-  
genij hebetudinem & literarum ignorationem, veritatis capaces esse  
non possunt: mirumq; in modum in jus eos vocando, interrogando, ad  
confessiones & subscriptiones adigendo, ad Magistratum deferendo, ve-  
xent, & exagitent?

45. Itaq; cum his spretis, adhuc Iesuita sanguinem innocentissimorum  
servorum Iesu Christi sicut nolit velit, coram toto orbe Christianorum, Apocal. 17.  
v. 5. 6.  
suum Papam Antichristum magnum proclamat: cui ad unguem id qua-  
drat: Babylon magna [quæ est, teste Bellarmino, Roma] mater forni- lib. 1. de ponti-  
fic. Max.  
cationum (spiritualium) & abominationum terræ. Et vidi Mulierem  
ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu.

Quod Bellarmi rationes, ejus conclusionem  
non ædificent.

46. Quatruplicem verò aciem argumentorum instituit. 1. sunt V. T. o  
dicta & exempla. 2. sunt ex N. T. quadam ὑπόμνημα. 3. sunt historiae  
& autoritates. 4. sunt rationes humanitus inventæ prorsus exanimæ.

47. Primus miles ex Deuteronomio profilit. Si surrexerit in medio Deut. 13.  
item 17. v. 2.  
tui Pseudopropheta, &c. Ex quo loco Iesuita concludit. In V. T. Pseu- 3. 4.  
dopropheta sine ulla misericordia occidebatur. Ergo similiter in N. T.  
haeretici, &c.

48. Resp. cur valet à lege V. T. ad legem N. T. argumentatio: cum Eph. 2. 14.  
medius paries maceræ sit solutus? 2. Et si ista lex adhuc nos obliget,  
cur illa altera lituram passa est, qua præceptum fuit: quando in ur- Deut. 13. v. 14.  
15. 19.  
be quadam Iudæorum, incolæ idololatræ evasissent, ut ipsis percussis,  
urbs cum omnib; quæ in illa fuerint, usq; ad pecora delerentur: neq; adi-  
ficaretur amplius: neq; de suppellectile quicquam quisquam auferret?

49. Male autem pervertit illud Mosis. Quicumq; ex superbia noluerit Deut. 17. v. 14.  
Sacerdotem, &c. moriatur vir ille. Nam hinc efficit argumentum. 17. 14.  
In V. T. interficiebatur, qui Sacerdotis edicto non paruit. Itaq; etiam  
hodie haeretici sunt interficiendi.

50. Non certè intelligit, id Mosis de casibus forensibus loqui: si ob-  
scurior inquit, fuerit aliqua causa, quam ut de ea judicare possis, inter  
sanguinem & sanguinem, &c. venies ad Sacerdotes, Levitas & 1 V.

B

DICEM



**DICEM, &c.** Et qui unquam ex superbia noluerit audire Sacerdotem aut **IV DICEM**, moriatur vir ille. Hoccine verò hæreticos interficiendos esse probat?

4. Reg. 13. 51. **Heliam**, Iosiam, Iehu commemorat. Si vult, adijciat Aaronis filium Phineen. Num verò hoc sequitur? Ergo hæretici sunt occidendi?
- Iosue 22.  
4. Reg. 10.  
Num. 25. v. 8.  
Pl. 105. 30. 52. Resp. proferat tale speciale mandatum nostro Magistratui datum. & erit mihi magnus Apollo. 2. Iam dictum fuit. 2. aliam **V.** aliamq. **N. T.** rationem esse.
- Dan. 3. v. 96. 53. Quando etiam Nabochodonosoris edictum inculcat, nobis respondeat, quoniam jam annis supra quinquaginta, multa millia hæreticorum [ut præ se ferunt] flamma, alijsq. multis modis mactarint, cujus domum, cujus suppellectilem, quam civitatem propter idolomaniam vastarint? Malunt enim Papiolæ Achani socij esse, qui anathemata furatus fuit.
- Iosue 7.  
2. Paral. 2. 54. Nec etiam plus ex isto edicto extruant, quam quod blasphemus tolerantur. Ut verò alius est hæreticus & alius blasphemus, ita necessarium non est, ut ambobus unus quidam sit. Imò si æquus censor volet esse, de hæreticis id edictum accipi non debeat: ut ab omni subsidio causa Bellarmini deturbetur.
- Col. 3. v. 2.  
Apo. 16. v. 11. 55. Augustinum in nassam opinionis suæ haud pertrahet Iesuita. Nonne ibidem hæc vidit verba? Molestas [Donatistis] fuisse saluberrimas leges (de coercenda eorum petulantia) quantum in insania detestabantur, tantum recepta sanitate gratulantur & in residuos, cum quibus perituri [æternam] fuerant, jam simili dilectione nobiscum ut instemus, ne illi pereant, excitantur.
- Augustin. ad comitem Bonifac. Epist. 4.  
Ibidem. 56. Hiccine Iesuita consensus est cum Aug. qui sic domandos hæreticos censuit, ut immorigeri filij, alij ligando, alij cædendo (non occidendo) in viam revocantur.
2. Retract. 17. cap. 5. 57. Quod addit, etiam **ALIBI** August. confiteri, hæreticos necandos esse, id **ALIBI** nihil est: neq. pro eo facit: quod ex libris Retractionum affert. Nam aliud litera docet.
58. Age verò cum Iesuita, ad **N. T.** ex quo hoc primum depromit. **Quicumq.** Ecclesiam non audivit, est habendus sicut Ethnicus & Publicanus. At hæretici Ecclesiam non audiunt. Itaq. sint sicut Ethnicus & Publicanus habendi & proinde permittendi potestati seculari, tanquam non amplius Ecclesie filij.
59. Responsum breve est, esse argumentum à baculo ad angulum. Quàm bella est consequentia ratio? An etiam Ethnicus & publicanus o-
- lim



lim occidebantur? Nūc hodie cuncti mactandi, qui Ecclesie filij non sunt?

Voi mens? ubi frons, ubi os Bellarmini?

60. Speciosius argumentum hoc est. Magistratus gladium non portat frustra. Ergo [ut subiiciamus τὸ ἑσώμασιν] heretici sunt occidendi. Rom. 13.

61. Verum plus est in consequente, quam permittit antecedens. Potest enim pius Magistratus alio modo impedire, ne violetur pax Ecclesie ab hereticis, etsi nemo dissidia in religione pertinaciter serentium trucidetur. Quando enim incorrigibiles sua ditione exire cogit, satis docet, se gladium non frustra portare. Neq; alius praterquam qui Magistratu fungitur, hoc modo Ecclesie succurrat.

Beza de heresi  
à Magist. pun-  
nicandis.

62. Et ut scopum Pauli altius perpendamus, cedo quibus scribit? Romanis. Cui tum parebant Romani? Imperatori Claudio. Quis professione erat Claudius? Ethnicus. Itaq; potuerunt Romani spem animo fovere, Ethnicum Imperatorem in hereticum ita animadversurum esse, ut Ecclesie pax sua reddatur? ἄνεσσορ.

63. Sed alia Iesuita profert. Christus jubet à Pseudoprophetis cavere. Paulus ait. Scio, quod post meum discessum intrabunt lupi, &c. Et Actor. 702 apud Ioh. Qui non intrat per ostium, &c. proinde sic instat. Latrones & fures sunt occidendi. Sed heretici, teste Christo & Paulo, sunt tales. Ergo, occidendi. Iohan. 10.

64. Resp. 1. disputatorem jam universè de hereticis concludere, cum supra promitteret, se tantum de incorrigibilibus & relapsis agere. 2. Observet etiam μετὸ βασιλῆος ἄλλο γένος: unde quatuor termini in argumento fiunt. Nunquid enim per latrones & fures id in maiore propositione intelligit, quod in minore? Minime. Nam major de latronibus furiosq; rerum secularium: Minor de hereticis, qui tropice fures & latrones dicuntur, loquitur.

65. Sed insuper & quintum terminum notet. Certum est, vocem occidere aliud in maiore propositione Syllogismi, aliud in conclusione significare. Talia enim sunt predicata, qualia permittunt subiecta esse. Furi & latroni seculari, temporalis mors. Furi & latroni spirituali, Spirituale debetur exitium.

66. Cramben recoctam reponit, quando cum D. Paulo heresin comparat gangrenam. Unde colligit: sicut is morbus, quem cancrum vocant, non curatur medicamine, sed ferro excindendus est, ita hereticos ferro, &c. corrigendos esse. 2. Tim. 2. v. 17. XB

67. Cum verò Apostolus noverit, heresin tantum esse malum, quare non præcepit, ut vel Sergio vel alijs Magistratibus doctrina de Chri-





sto obedientibus traderentur necandi: sed eos tantum devitare iussit? Imò quare Christus flagello negociatores templo eiciens, Phariæos ne quidem attingit?

Ioan. 2.

68. Etiam ex Iohanne argumentum adijcit: Christus negociatores flagello coëgit templum egredi [Addamus consequens] Ergo hæretici occidi debent.

69. At bona verba Bellarmine. Tibi quoq; negociatores sunt hæretici? Et quos Christus in vita reliquit, dumtaxat flagello eos urgens exire templo, tu Christo truculentior, etiam occidere suades?

Actor. 9.

Actor. 13.

70. Quò verò illud spectat? Petrus [nempe gladio Spiritus] interfecit Ananiam & Sapphiram. Paulus verò [gladio Spiritus] Magum Elymam ad tempus visu privavit. Quid hinc deducit? Ergo secularis Magistratus gladio corporali hæreticos percutere debet.

71. Dico esse magnam dissimilitudinem. Melius subsumeret Bellarminus. Ergo adhuc Iesuitæ imitantes exemplum Petri, gladio Spiritus hæreticos conficere debent. 2. Præterea cum Ananias hæreticus non fuerit, aut quod concludit Iesuita falsum est, aut non quidem hæretici mactandi sunt, sed quicumq; Papicolis non omnem bonorum substantiam tradunt, sed partem sibi suisq; servant.

Bulling. dec.

2. Sermon. 2.

Beza de hæret.

Magist. puniendis.

niendis.

72. Calviniani qui eodem hoc utuntur argumento, consequentiæ probabiliorem rationem habent, dicentes: Petrum id miraculum operatum esse, non quæst. Apostolum sed quæst. magistratum: planè sicut in V. T. Helias interficiens Baalitas, Magistratus personam gesserit.

Luc. 22.

Luc. 9. v. 55.

Ioan. 10. v. 21.

73. Respon. inter Heliam & Petrum magnum notari discrimen. 1. ratione temporis: Cum enim ille in V. T. tum sacerdotale tum regale munus sustinere potuerit: posterius huic in N. T. planè negatum fuit. Vos enim non sic. Nescitis, cuius Spiritus filij vos estis? Mitto vos, sicut me misit pater. 2. ratione operis. Stragis Baalitarum verè fuit causa Helias: Siquidem corporaliter eos interfecit. Mortis Ananias & Sappiræ Petrus nulla prorsus fuit causa coëgisse: nisi quod instinctu Spiritus sancti eis iudicium Dei revelavit: planè sicut Moses de pœna Dathan, Coreh & Abiran ad populum retulit.

Num. 16.

Nieph. Eccl. 74.

histor. lib. 3.

& 47.

Quando autem Iesuita ad Imperatorum Christianorum aëta & decreta confugit, ipse confitetur, majorem partem eorum, hæreticos mortem subire non coëgisse. Et quanquam à quibusdam alijs fuerunt pœnæ capitales hæreticis constitutæ, magnam tamen prudentiam earum executio requisivit.



75. Patrum autoritates, aliæ si non truncantur, Iesuitæ conclusio-  
nem non astruunt; aliæ aliam expositionem in sua sede offerunt, quàm  
eis affingit Iesuita.

76. Veniq; causis naturalibus se muniens, 1. sic suum ζήτημα urget:  
Cui convenit major pœna, eidem etiam minor apta est. Sed excommu-  
nicatio est major pœna, quàm capitis supplicium: atq; hæreticis conve-  
nit. Ergo, hæretici capitis supplicio affici possunt:

77. Scite herclè. Vult ergo, ut pro uno delicto duplicem ferulam  
fontes sentiant? Num priscorum Romanorum morem in usum revocet,  
qui Reos capitis, primum ferulis cadebant, postea securi percutiebant?  
2. Cum excommunicatio [teste Iesuita] omnium sit accommodatissimū  
remedium contra hæreses, cur ad gladium corporalem quoq; confugit?  
3. Et quæ est ἐπιχουρικαία, anathemate jugulatum hominem, Ma-  
gistratus reddere, ut temporanea & æterna morte pereat?

Liv. hist. Ro.  
dec. 1. lib. 2.

78. Quod de experientia assert, falsissimum est. Nam sua constantia  
planè stupenda, in perferendis exquisitissimis supplicijs, multi hæretici  
ceu martyres Dei haberi cœpti, in media morte discipulos naeti fuerunt.

79. Si verò falsarij sacrarum literarum omnes trucidentur, quid fiet  
Bellarmino antesignano? Sin simile ἀναλογικῶς tantum concludat, quid  
ipse ludificat homines?

80. Quod amplius argumentatur. Vir fidem fallens uxori suæ occi-  
ditur. Quare hæreticus magis occidendus est. Cum n. non homini, sed  
Deo fidem fallat, tanto peior perjurus est, quanto Deus homine subli-  
mior est.

81. Resp. propter hanc rationem non tantum hæretici occidendi sunt:  
sed quicunq; scientes prudentesq; in Deum peccata quæcunq; committant.  
Cum enim fidem datam Deo solvant, qui secundum Bellarmini senten-  
tiam, capitis pœnam effugient? Et quæ pars hominum officinam car-  
nificis non metuat?

Num. 15. 30.  
Matth. 23. 13.  
Act. 4. 18.

82. Ex tribus præterea causis, ob quas hæretici mactentur, 1. hæc  
est, quia sunt peiores latronibus. Seducunt enim hominum animas.

83. Resp. vero si omnes ignominiosam mortem sentiant, qui hominum  
animas seducunt, quid fiet cum illis, qui scandala præbent? Quod enim  
scandalis datis homines multi æternum pereant, quis negat Christiani  
dogmatis gnarus?

Matth. 18.  
Rom. 14. v. 14.  
1. Cor. 8. v. 10.

84. Objicit Bellarminus secundò. Supplicium hæreticorum prodesse  
pluribus. Nam torpentes excitari, ut cogitent de Christo.

B. 3.

85.



86. At o stuporem Christi & Apostolorum, si verus sit Iesuita, quod hoc non viderint, quod ad Ecclesiae incrementum tantum conferat. Verum enim vero malum non est faciendum, ut inde eveniat bonum.

Erasm. Ep. sup.  
Op. Nil

87. Et quam pulchre Papicola, supplicij hereticorum (ut falso opinantur) excitent torpentes, id Erasmus docet: Quumq; vita nos destituat: quum fides sit in ore, magis quam in animo: quum solida illa sacrarum literarum cognitio nos deficiat: tamen terroribus huc adigimus homines, ut credant, quod non credunt: ut ament, quod non amant: & intelligant, quod non intelligunt. Non potest esse sincerum, quod coactum est: nec Christo gratum est, nisi voluntarium.

NB. acerbissimum sarcas-  
mum Bellar-  
mini in re o-  
mnium tru-  
culentissima.

88. Deniq; instat Iesuita. Hereticis magnum praestari beneficium, quando trucidantur. Quò enim diutius vivunt, eò maiorem sibi condemnationem acquirunt.

89. Nunc verò tempus est, ut universus orbis Christianorum evigilet, & hunc acerbissimum sarcasum Bellarmini nolet. Quos excommunicatos, perq; Carnificem mirum in modum excarnificatos, refta via in baratrum aeternae damnationis, aeternumq; cruciandos relegant Pontificij, hos nomine beneficij, sella Romana devinciri, ais Iesuitas? Resistat tibi Deus.

Quod Calvinii & Bezae opinio de hac controversia erronea fit.

90. Principio ne aërem, quod dicitur, verberemus, probe tenendum est, etsi uterq; existimet, hereticos, ut proprie tales sunt, à Magistratu puniendos esse, tamen distinctos poenae graus observari volunt, quibus idem castigentur & coerceantur.

In lib. de ref.  
errorum Ser-  
veti.

91. Hinc Calvinus tres fecit errorum gradus: & quibusdam inquit, fatemur, dandam esse veniam: alijs modicam castigationem sufficere, ut tantum manifesta impietas capitali supplicio plebatur. Primi sunt, si qua levis superstitio & inscitia simplicium mentes occupat, ut eam patientià corrigere potius studeant, &c. Secundum errorum genus etsi castigationem meretur, mediocris tamen adhibenda est severitas: tantum ne indulgentia alatur eorum improbitas & contumacia, qui fidei unitatem scindere cuperent. Sed ubi à suis fundamentis convellitur religio, detestande in Deum blasphemiae proferuntur, impijs & pestiferis dogmatibus in exitium rapiuntur animae: deniq; ubi palam desectio ab uno Deo, puraq; doctrina tentatur, ad extremum illud remedium descendere necesse est, ne mortale venenum longius serpat. Beza tantum occidi jubet.

NB. hic aliud  
per blasphemiam  
vocem  
intelligit,  
quam Dan. 3.  
Coloss. 3.  
Apocal. 16.  
Bez. de heret.  
& Migilt. puniendis.

92. Hac verò magnum applausum à politicis reportant. Nam quid speciosius?



speciosius? quid veritati in hac controversia similis? Verum qua facilitate dicuntur sine scriptura, eadem facilitate condemnantur cum scriptura, ut ex sequentibus pateat.

93. Sane existimamus, Religionis curam ad pium Magistratum pertinere. Nam si quis Christianus cultus divini curam habeat, ei tanto major incumbit: qui majoris eminentiae est & publica autoritate plus potest. 2. Si in Magistratum legatur nemo, nisi strenuus & timens Deum, in quo sit veritas & qui oderit avaritiam: Cur Magistratus, officium in Ecclesia docendi non satis explorato viro committat? aut cum ab Orthodoxa religione defecerit, cur eum toleret, ut insalubri pabulo oves inficiat?

Exod. 18. v. 21

94. Et huc demum rationes Calvini & Beza tendunt. Quod autem occidantur, pressius rationes eorum tractatae, non concludunt.

95. Quid? quod ad cruentum hoc remedium fugiendum non est, quam diu alia lenior via suppetit, Ecclesiae suam pacem restituendi. Quam vero Beza monstrat, scribens: si qui sunt, a quibus nec minis nec precibus impetrari possit, ut idem cum ceteris ex verbo Dei sentiant, hoc saltem pro potestate, quam a Deo habent, ab ipsis extorqueant: ut vel aliò demigrent, vel modico fermento totam massam non corrumpant.

Beza de her. i Magist. p. niendis.

96. Porro ex Deuter: inferunt. Quod Deus Ecclesiae suae in perpetuum mandavit, id in N. T. quoque valet. Sed Deus Ecclesiae suae in perpetuum mandavit hereticos occidere. Etenim aut adventu Christi Magistratui detractum fuit aliquid: aut adhuc haeretici sunt occidendi. Illud absque piaculo non asseverari potest: Et consequentia probatur. Cum enim Deus in U. T. per leges forenses Magistratum neque angustiis terminis inclusit, neque latioribus laxavit: Et ibi leges in contemptores tabulae primae a Deo sunt latae, et nisi hodie serventur, frustra latae existimandae sunt. Ergo, &c.

argumentum Calvini & Bezae ex Deuter cap. 17.

97. Nos vero Bezae Bezam opponemus, dicentem: Quamvis politica Mosaica formulis non teneamur, tamen cum iudiciales istae leges iudiciorum aequitatem praescribant, quae pars est decalogi, nos ut illis non obligamur, quatenus a Mose uni populo praescriptae sunt, eae tamen ad eas observationes teneri, quatenus generalem illam aequitatem complectuntur, quae ubique valere debet.

98. Itaque, Non universo Magistratui, sed uni populo Iudaico istas praescriptas fuisse: ipsidemque nos non ἡγούμενος, sed ἑπομένως teneri, vult ille.



99. Deinde loquens de generali equitate, sibi Beza parum constat, qui in eodem libro habet, quod pro ratione temporis, personarum, locorumque interdum heretici occidi debeant. Lex autem divina Pseudopphetas simpliciter damnat.

August. epist. quarta.

100. Nec frustra lata sunt, si hodie non servantur. Nam suum finem in politica Mosaica sunt adeptæ. Nec Deus quicquam jubet quod sibi prosit.

aliud argumentum Bez.

101. Beza autem porro sic. Si hæresis in qualitate sic est comparata, ut omnis alia pœna sit minor, sed pœna capitis sit apta, heretici interdum sunt necandi.

102. Hic primum notetur, prædicatum subiecto per restrictionem addi: non dicens, Semper, sed interdum. At divina lex arbitrium tale secludit.

103. Et Beza se refellit, scribens: Si ad Blasphemiam & impietatem hæresis, h. e. contumax verbi Dei & Ecclesiastica disciplina contemtus & vesanus quidam furor ad alios corrumpendos invaserit, quod tandem inter homines majus & sceleratius crimen possit existere, adeo quidem, ut si pro criminis magnitudine pœnæ modus constitutendus fuerit, nullum par supplicium huic sceleri inveniri possit?

Matth. 13. v. 29.

104. Iam ut καὶ τὸ κενὸν πανκὶς complectamur, id Christi notemus, quod zizaniam eruncare vetet: donec messoribus dicat in consummatione mundi, ut in fasces colligantur.

105. Beza nervum argumenti ut incidere gestit, frustra sudat: quod candido lectori liquebit.

1. Cor. 5. v. 12.

106. Præterea quid nobis de ijs, qui foris sunt, judicare? Heretici verò ab Ecclesia exeunt foras: Quod cum Bellarmino Beza de Pontificijs loquens consitetur. Et Augustinus scribit: Talis [h. e. hereticus] si foras exit, habetur in exercentibus inimicis. Inimici enim omnes Ecclesie quolibet errore cæcentur vel malitia depraventur.

Augu. lib. 19. de civit. Dei cap. 51.

107. Fortè miretur quis Bezam, cum pontificios non censeat interficiendos, quia sint foris, cur Anabaptistas tollendos existimet? Quia [inquit] totius vitæ humanæ vinculum abrumpunt: quia civium consensum factiosè lacerant.

108. Ergo heretici quatuor facinorosi sunt & sicut alij flagitiosi capitis pœnam merentur, censeat necandos? Hic nemo sanus obstrepit.

in maiore portilla, quam Ecclesiasticam vocant.

109. D. Lutheri sententiam egregiam in explicatione Evangelij super Dominicam quintam post Epiphaniam in ipsam disputationem reijcimus. Errata. th. 12. lege ἀγαθῶν. th. 23. notæ. th. 39. Romana.



Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquijs et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gr̄.

De notitijs Dei et voluntatis ipsius humanis aīs nāa infitis et discipli-  
nā ex cultis, D. Hofmanni, B.

Thesi de iustificatiōe hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatiōe gr̄a Flacianos Joh. Ferrarū.

Assert. Theol. de iustificatiōe hoīs coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa dōe de iustitiā fidei ab opibz, M. Helsen, & M. Berzi

De Ecclesiā triumphante in celis disputatiōes 2, quā una de sanctorū in vitā aternā  
nā beatitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant. p̄st. 3.

1. qd fit goz Magoz, Babil, Mesob. 2. qd p̄ hoc vocab. Turca significant  
3. qd Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutandō duobz cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in quā tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo ad  
loco dōe ubi ista evenient. 3. Cuias ob cuias Turca Christianis immittat. 4. Cuias rāone fit repri-  
mend. 5. Quo pacto et qbz armis tandem medietate fūditū sint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi de Predestinatiōe D. FREDERI.

Dōe de reali communiōe idiomatū in unā P̄sonā Dei, M. Berndes.

Dōe de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi de Sacramentis in gr̄ GESNERI.

Them. Theol. de orali corporis Dei in cenā manducatiōe dictibz Eucharisticis D. GESNERI.

Them. Theol. de communiōe idiomatū reali tertii gr̄i, D. GESNERI.





manus qui etiam u  
 cas sunt; et u  
 pnes regum i  
 uerit addideru  
 tante om erexit  
 dore  
 aū tu facti statu  
 uerit nabuch  
 uerit et am  
 ter. *Vois* et  
 cubi et lingu  
 audierat cont  
 et fabule. et ey  
 uerit et plale  
 uerit et uerit  
 fieri. eacem  
 dicit aut  
 te nabuch  
 quis aū no  
 tate. ad  
 massis  
 uerit  
 uerit





AVSPICE IESV

oritur Theologica

VTRVM HÆRETICI  
PERVICACES, ET HÆRESEOS  
legitimè convicti, capitis supplicio af-  
fici debeant?

Quam

CONTRA PONTIFICIOS,  
& Calvinianos.

Ad disputationem XXIV. in Collegio Studiosorum  
Theologiæ privato ad III. Aprilis in-  
stituendam proponit

M. MARTINVS CONRADVS FRANCUS.

Respondente

MATTHEO SATLERO HEIBACENSE  
VVIRTEMBERGICO.



VVIRBERGAE, Liteis VVolfgangi Meisneri.

ANNO cl. l. IVC.

